Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1627
Quelle:
Copyright:

dent Sequentia, quodam ex *Hussi* disciplina *Bohemo*.

V. *fol.* 127. p. 2. eodem calamo *Lectiones* III. pro Officio ecclesiastico SS. *Bohemiae* Indigetum, nempe *Viti*, *Wenceslai*, *Adalberti*, *Sigismundi*, *Quinque fratrum*, *Procopij*, *Cirilli et Metudij*, *Ludmillae et aliorum*. Init Prima: *Etsi omnium sanctorum fratres karissimi sacras victorias deuoto celebramus affectu* &c. Παραινετικα solum, nihil ad Historiam continent, atque e vetusto quodam *Breviario Prag.* descriptae videntur ad diem, quo *Festum Reliquiarum* horum SS. agebatur.

VI. *fol.* 129. Acta SS. *Cyrilli* et *Metudii* forma homiletica enarrata hoc ingressu: *Hodierna festiuitas dilectissimi geminatam nobis confert leticiam in qua geminorum fratrum veneranda festa recolimus* &c. Ad *Olomucensem* Ecclesiam haec potius pertinere videntur, quam ad *Pragensem*, in cujus *Breviario Venetiis* anno demum 1517. 8. excuso ad diem 9. *Martii* ne quidem minio indicantur beati Fratres, et 6. breviculis *Lectionibus fol.* 244. absolvuntur. Ceterum nihil haec *Acta* continent, quod non in iis legas, quae *Bollandiani* T. II. *Martii* ad diem praedictam contulere, nisi quod diserte: *Ad augmentum quoque orthodoxe fidei* (Swatopluk) *in loco qui dicitur welbrad, vbi tunc erat sedes regni sui, Archiepiscopalem sedem erigi et ad eius regimen sanctum cirillum disposuit ordinari adiunctis sibi septem episcopis suffraganeis in polonia et vngaria constitutis.* Quae omnia in edit. *Dobneriana Annal. Hagec.* P. II. et III. passim illustrantur.

VII. *fol.* 133. p. 2. Pia ad B. V. Precatio, quae incipit: *O vere sancta et immaculata, o perfecta Dei mater maria* &c. Occasio, qua composita est, videtur desumi posse ex his verbis: *In hac quippe festivitate nouella, quam ad honorem tui nominis institutam solempni ueneratione prosequimur* &c. De Festivitate Conceptus *immaculati* e Decreto Synodi *Basil.* 1439. agi autumo; non enim de Festo *Nominis* sermo esse potest, quod superiore demum Seculo ab universa Ecclesia celebrari coepit.

VIII. *fol.* 137. *Summa Laurencij de dictamine. Tractatus de differencia ricmorum*, et ad calcem: *Explicit lilium retborice.* Fragmenta confusa Exemplorum Literarum, Formulae variae Epistolares, Tituli, quibus diversae conditionis homines adpellantur, et quaedam de Rhythmis, nullius pretii. *Laurentium* quendam e Praecentore *Dunelmensi* Abbatem *Westmonasteriensem Londini* Sec. XII. *de conscribendis Epistolis* tradidisse meminit ex aliis *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 472. *Lilium Grammaticae* non semel editum habetur a *Guil. de Wert.* Fortasse subpar quidam Ludi Magister haec coagmentando *Lilium Rhetoricae* effinxerit.

IX. *fol.* 148. manu Sec. XIV. praemissa brevi Tractatione de IV. *Virtutibus Cardinalibus* sequuntur *Autoritates Aristotelis* e LL. Metaphys.